

*Vulneratus est propter iniquitates nostras, et attritus est propter scelera nostra*, ait Isa. cap. LIII. Nisi enim peccata nostra fuissent, nullum vinculum tam forte fuisset quod ligare eum potuisset; nulla spina tam dira, quæ caput ejus perforare; nullus clavus tam acutus, qui manus et pedes terebrare; nulla potestas tam grandis, quæ condemnare eum potuisset. Jam si scires patrem tuum propter aliquod scelus tuum, morte fuisse condemnatum, et interim non doleres: an tu non hoc ipso dignus morte fores? Quando Nathan sub parabola exprobravit Davidi, quod pauperi Uriæ ovem unicam abstulerit et mactarit, II. Reg. XII. uxorem videlicet, dicens: *Tu es ille vir, etc.* commota sunt viscera Davidis, et incepit deplorare peccatum suum. Quod si nos ipsos in iudicium vocemus et inquiramus, quis unicam illam et innocentissimam ovem Deo Patri abstulerit et in macellum dederit, audiet etiam unusquisque nostrum: *Tu es ille vir.* Et qui fieri potest, ut propterea non doleamus? Pœnitentia ductus est Judas, quod videret Dominum se traditore condemnatum, quem forte non intendit tradere ad mortem. At nos quoque eum tradidimus, tametsi non ea intentione ut occideretur; scimus enim ipsum propter scelera nostra damnatum esse, quare si propterea nihil doleamus, annon ipso, Juda stupidiores erimus? Quando propter Jonæ inobedientiam ingens orta fuit tempestas, et navis periclitabatur conteri, timuerunt nautæ et clamaverunt ad Deum suum, solus interim Jonas in navi dormiebat. Gubernator illum excitans: *Qui tu, inquit, sopore deprimeris?* Jonas ergo sciens propter se exortam esse tempestatem: *Tollite, inquit, et mittite me in mare: scio enim quoniam propter me tempestas est grandis super vos*, Jon. I. Vide quæso, Christiane, quam sit grandis illa tempestas, quæ venit super naviculam humanitatis Christi. Quid est in illa navi, quod non patiat, non obruatur fluctibus dolorum? Vide quot impulsus faciat ad scopulos, vide quomodo conteratur in cruce? Et propter quem tandem orta est hæc tempestas et venit super Christum? Propter me et te; nos ab inferis eam evocavimus. Ergone adhuc sopore deprimemur, et soli nos commotione ista nihil commovebimur? Nonne quæ quis fecit, hæc et pati dignus est? Qui incendium excitavit, incendium patiat, et in illud injiciatur? Itaque patiamur nos in maris hujus procellas ejici, ut una cum Christo saltem sentiamus, quam ipsi excitaverimus tempestatem.

IV. Quia nulla unquam passio fuit aut erit tam luctuosa omni ex parte, sicut fuit passio Christi;

nec unquam satis percipere possumus, aut penetrare dolores omnes, quos exantlavit Christus, ita ut jure merito, quamdiu mundus steterit, tamdiu debeant homines passionem ejus sentire. Hinc ipse in psalm. LXVIII. de passione sua ad litteram scripto, soli Deo notum esse asserit, quid pertulerit, quia nimirum hominæ id comprehendere non possunt: *Tu scis improperium meum, inquit ad Deum Patrem, et confessionem meam et reverentiam; id est, verecundiam meam.* Quantum enim est hoc, necari Dei Filium et quidem a creaturis suis? Quantum hoc, necari post tot præstita beneficia, qualia nemo unquam præstare illis potuit? Quantum hoc, torqueri in omnibus membris, omnibus sensibus, puniri in omnibus bonis ab omni hominum genere? Quantum hoc, necari cum tanta confusione virum tam honoratum in populosissima civitate, solemnissimo conventu hominum, turpissima nece, cum grandibus nebulonibus? Quantum hoc, necari cum tanta rabie et furore, cum tot improperiis et sannis, absque mora et omni commiseratione? Hæc et multo plura talia in nullius unquam supplicio visa sunt, nec unquam a nobis satis perspicentur. Propter hoc ipsa carentia sensu elementa passionis hujus acerbiter testari debuerunt. Docet igitur ut hæc memori mente semper recolamus. Quando sub Tiberio imperatore militabat exercitus Romanus in Pannonia, videbatque lunam eclipsari, putans quod illa pateretur aliquid in conflictu et certamine, strepitu armorum et tubis vocem in altum ciebat, ut sic eam quasi animaret, consolaretur et roboraret, ut scribit Corn. Tac. I. I. annal. cap. VII. Agnovisse etiam elementa videntur passionis Christi acerbiter, quando in ipso mors et vita duello conflixere mirando: et idcirco vocem quo poterant modo, extulerunt, dum terra mota est, petra scissæ sunt, monumenta aperta sunt, sol obscuratus est, quasi hoc pacto animum addere afflicto suo creatori vellet, aut succumbenti opem ferre. Hinc enim Dionysius adhuc gentilis eclipsin illam inusitatam videns, verissime collegit: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur.* Non enim existimavit, alia de causa talem eclipsin fieri potuisse, nisi propter interitum ipsius Dei, aut omnium simul creaturarum.

V. Quia exigit hoc a nobis debitum gratitudinis. Exigit enim hæc virtus, ut beneficium acceptum non sepeliamus oblivione, sed multoties recolamus, præsertim si grande et perpetuum est. Tale est autem beneficium redemptionis; quod si tamquam præsens in memoriam revocemus quomodo fieri potest, ut non tabescat

anima nostra præ doloris sensu? Hinc cum Dominus petisset per Jeremiam, Thren. III. ab anima christiana, memoriam passionis suæ dicens: *Recordare paupertatis et transgressionis (seu ut habent Septuaginta persecutionis) meæ, absinthii et fellis; mox anima respondet: Memoria memor ero, et tabesceat in me anima mea.* Quare si hoc pacto passionem recolamus, et in nobis etiam pro modulo nostro sentiamus, gratam utique Christo faciemus; et quod fecerunt canes Lazaro, vulnera ejus lingemus. Si in terra sancta essemus, utique Christi vestigia studiose inquireremus, deoscularemur et lacrymis rigaremus. Hoc ergo nunc per devotam facere meditationem et compassionem possumus, quemadmodum ostensum esse cuidam eremite scribit Ludoph. de Saxon. in vita Christi, cap. LVIII. Cum enim instanter peteret a Domino, quod ipsi servitium magis acceptum esset, vidit mox Christum cruce oneratum, et dicentem sibi: *Rogasti me, ut tibi ostenderem quod mihi gratius inter cætera obsequium præstares: nunc dico tibi, quod hoc: Cum quis nimirum me portare crucem juvat et vulnera in corde suo.* Idem D. Francisco divino omine ostensum narrat D. Bonav. vitæ illius, c. III. et D. Anton. III. p. sum. hist. tit. XXIV. § VII. his verbis: « Immissum est ejus menti per divinum oraculum quod in apertione libri evangelici aperiretur ei a Christo, quod Deo in ipso, et de ipso maxime foret acceptum; oratione itaque cum multa devotione præmissa, sacrum evangeliorum librum de altari sumptum, in SS. Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum utique Deo devotum et sanctum. Sane cum in trina libri apertione semper passio Domini occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actionibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus et doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret, etc. » Aquilæ factum celebrat Plinius, lib. X. cap. V. quæ apud Seston urbem a virgine educata, venatum altrici aggerbat, postremo in defunctæ rogum se iniecit et simul conflagravit. *Eamus et nos et moriamur cum illo*, ait Thomas, id quod fiet, si contrito et condolente corde passionem Domini recolamus, ut pote conservatoris nostri, qui omnia sua merita nobis accumulavit.

VI. Quia decet ut B. Virgini potius et discipulis Christi nos accommodemus, quam Judæis qui in passione Domini exultabant, illis contra lugentibus. Cum Maria etiam matre Jesu multæ feminæ lugebant; nec ob id a Domino reprehenduntur; sed monentur ne imprudenter lugeant, quasi ipsi mors vel præcipue, vel soli, vel ut aliis hominibus sit nocitura.

VII. Quia si commortui fuerimus, et convivemus: si sustinebimus, et conregnabimus, ait apostolus, II. Tim. II. Unde S. Leo, serm. IX. de quadrag. ait: *Certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis.* Qui vult ergo salubriter gaudere cum Christo in paschate, doleat cum ipso nunc in passione.

Quare utinam faciamus Christo, quod vel Sancto Job faciebant amici, qui audita ejus calamitate, *condixerunt ut pariter venientes visitarent eum et consolarentur. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum: et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cælum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem esse vehementem*, Job II. Similiter ergo et nos pariter condicamus et aspiciamus a longe Christum velut adhuc Hierosolymis in cruce pendentem, et videbimus eum heu! nimium sibi dissimilem, nec habentem speciem. Ploremus item et scindamus non vestimenta, sed corda nostra: spargamus pulverem super capita, considerando peccata nostra causam fuisse passionis ejus, et sedeamus cum eo quatuordecim his diebus, non tam verbis quam cogitationibus dolores ejus recogitantes; ut ita demum cum eo sedere mereamur in gloria.

## CONCIO VIII.

## LAPIDIBUS OBRUUNTUR BLASPHEMI.

I. Lapidantur a Deo. — II. A sanctis, a Deipara, a S. Antonio, et a ss. angelis. — III. A lege canonica. — IV. A lege civili. — V. A creaturis irrationalibus. — VI. A dæmonibus. — VII. Ab ipsismet blasphemis. — VIII. Lapidandi etiam a nobis.

## THEMA.

*Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum.* Joan. VIII.

Ecclesiasticus, cap. XXVII. dicit: *Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet.* Quam sententiam Sanctus Chrysostomus, hom. III. de incomprehensibili Dei natura, de blasphemis proprie dictam esse vult, et ait: « Quemadmodum qui lapidem illo jaculatur, corpus celeste non attingere, nedum lacerare potest, plagam autem suo capite excipit, cum lapis eodem, unde jaculatus est, redeat, ita qui beatam illam blasphemam substantiam, ut nunquam eam offendere potest, cum longe potior atque excelsior sit, quam ut aliquo affici possit detrimento, sic ferrum adversum animam suam acuit ac parat, cum se ingratum Domino bene merenti exhibet. » Verissime

hæc Chrysostomus. Tulerunt in hodierno evangelio Judæi lapides et jacerent in Dei Filium; lapides, inquam, blasphemiae, imprimis cum dixerunt: *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et demonium habes?* Deinde materiales etiam sustulerunt lapides; sed frustra, quia abscondit se. Lapidem autem illi in eversione Jerusolymæ, ubi dicere inceperunt montibus: *Cadite super nos;* et collibus: *Operite nos,* in capita eorum reciderunt eosque oppresserunt; id quod eis David prædixerat, psalm. LXIII. *Excucierunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, etc.* Sed quid effecerunt? *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* Et quemadmodum milites Cæi Cæsaris quondam ex indignatione erga deos suos, sagittas in cælum ejaculati, ab iisdem recidentibus vulnerati sunt: ut refert Seneca, lib. I. de ira, et Sueton. in vita cap. XII. ita Judæi hodie Christo quidem nihil, sibi autem plurimum nocuerunt. Hoc idem evenit blasphemis. Cum enim blasphemus tollit lapidem ut jaciatur in Deum, omnes creaturæ armantur, et suos quoque tollunt lapides, ut jaciatur in eum. Ideo Levit. XXIV. præcepit Deus blasphemum lapidari ab omni populo; quia nimirum tam enorme sit hoc peccatum, ut omnium manibus plecti debeat, non secus ac canis rabidus, qui a tota civitate quaeritur ad necem.

Ergo lapidant blasphemum Deus, sancti leges, creaturæ irracionales, dæmones, ipsi denique blasphemus, ut videbimus.

I. Deus, qui in veteri lege, Levit. c. XXIV. præcepit ut juvenis quidam, cujus mater vocabatur Dalumith, blasphemus, educeretur extra castra, ut ponerent omnes, qui audierunt, manus suas super caput ejus, et lapidaret eum universus populus; quod supplicium omnibus deinceps blasphemis statuit, sive cives illi essent, sive peregrini, idque iterato repetit: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur;* ne quis hoc tam severum judicium Deo excidisse vel non serio prolatum putet. Educi eum præcepit extra castra, ne cum ipso vel propter ipsum puniretur communitas. Manus omnium testium ei imponi, partim ut indicaretur hujusmodi eandem esse quoddam sacrificii genus Deo acceptum; (victimis enim cædendis manus imponebantur, Levit. I.) partim ut hac cæremonia testes a culpa se vindicarent, et omnem culpam in blasphemum transferrent (sicut faciebat, qui pro peccato suo hostiam piacularem offerebat, ea impositione culpam suam in hostiam rejiciendo) quemadmodum vult Oleaster; quia blasphemiae suæ enormitate videtur inficere totam communitatem et divinæ vindictæ reddere obnoxiam, nisi eam quam pri-

mum vindicetur. Denique lapidibus obrui; ut lapides blasphemiae, quos ipse prius conjecerat in Deum, in caput ejus reciderent. Hinc apposite mater ejus appellata scribitur *Dalumith*, id est, *retributio*: filia *Dabri*, id est, *loquelæ*; quia impie filiae loquelæ facta est retributio. Lapidari vero jubebatur non ab aliquibus, sed ab omni populo, ut ea ratione omnes contestentur se hostes esse blasphemiarum et vindices; mater vero ejus nominatur, in ejus confusionem et cautelam parentum, qui filios suos melius educare deberent. Aliud exemplum editum in Pharaone, quem blasphemus locutum: *Non novi Dominum*, operuit undis maris rubri. Aliud in Syriis, qui dicebant de Deo vero: *Deus montium est Dominus, et non Deus vallium*; ideo a parvo exercitu Israelis cæsa sunt de ipsis centum millia peditum: et viginti septem millia qui confugerant ad civitatem, muro super eos cadente, obruti sunt, atque ita demum sub lapidibus sepulti, III. Reg. XX.

II. Sancti Dei in cælo. Imprimis Virgo Deipara; refert enim I. Lipsius de diva Virgine Hallensi, c. VII. Oliverio Tempelio oppidum Hallas prope Bruxellam, expugnare cogitante, Joannem Zwickium de militibus ejus, hominem improbum et hæreticum dietitasse: *Ego meis manibus Hallensi mulierculæ (statuam ejus miraculis illustrem innuebat) nasum abscindam.* Audiit Virgo, et mox ubi hostes muro urbis appropinquabant, ea procurante blasphemus illi, plumbea ex oppido missa nasus est ademptus. Ob id etiam commilitonibus suis perpetuum fuit ludibrium, qui hominem ad nasum suum recipiendum, Hallas identidem mittebant. Alteri blasphemus in eadem expeditione dicenti, se statuam illam igne subjecto crematurum, tormenti ictus os, meatum et mentem abstulit. Id refert etiam Corn. a Lapide, in Levit. cap. XXIV. quemdam ex Hollandis cum venisset ad sacellum Virginis Sichenensis, irridendo dixisse: *Si Maria hic miracula facit, illuminet meum equum,* moxque equo visum redditum, blasphemum vero equitem excæcatum. Wilhelmus Lindanus narrat ad annum Domini 1567. in oppido Hollandiæ Aspera, mulierem Anabaptisticam in summa partus difficultate Deiparam appellasse scropham, divinitus autem punitam, nigellas aliquot edidisse suculas emortuas tamen. In prato spirituali Sophronii, capite XLVII. ita scribitur: « In hac (Heliopoli Phœnicæ) mimus quidam erat Gaianus nomine, qui in theatro sanctam Dei Genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemiae præbebat. Apparuit autem ei S. Dei Genitrix monens: *Noli quaeso, noli ita lædere animam tuam; ille vero rursus deterius illam blasphemabat, unde ipsa tertio ei apparens, eadem repetebat. Cum*

autem ille se non corrigeret, sed plus quoque blasphemis adjiceret; meridie dormienti sibi apparuit, nihilque dicens, digito signavit ejus manus et pedes; evigilans autem invenit se truncatum manibus et pedibus. Atque ita infelix, ut truncus inutilis jacens confitebatur omnibus, cujus rei gratia et quomodo hoc passus esset, utque propter blasphemias clementer cruciatus fuisset. » Tilm. Bredembach. lib. III. collat. cap. XVII. scribit, cum Geusii in Belgio tumultuarentur et monasterium Franciscanorum prope Embricam demolirentur, et statuam sanctorum exurerent, unum militum statuam Sancti Antonii mire exagitasse et dixisse: *Si quam ille vim aut virtutem habet, eam declaret;* statimque blasphemum igne sacro, quem vocant Sancti Antonii correptum et toto corpore ustulatum, tandemque omnino extinctum esse. Quod ipsum pluribus alibi accidisse refert, cap. XXIX. et XXX. Ejusdem sancti statuam cum Silvæducis alius ad ignem raptaret dicens: *Antoni, Antoni, tu quidem soles in mortale genus igne desævire, eosque misere ustulare, at ubi nunc vires illæ?* Mox sensit sceleratam linguam peste infectam, sicque una cum tota extinctus est familia. Refert ex ore episcopi ejus urbis Franc. Costerus, conc. in dom. III. quadrag.

Accedunt sancti angeli, qui quam indigne ferant Deum suum blasphemari, vel ex ea sola decantatissima historia patet, IV. Reg. XIX. ubi angelus Domini in una nocte octoginta quinque millia Assyriorum percussit, quod eorum rex Sennacherib Deum blasphemasset, dicens ad Ezechiam: *Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam, etc.* quasi eum de manibus suis liberare non posset. Ipse vero Sennacherib cum ignominia reversus per viam, qua venerat, cum adoraret in templo Deum suum a propriis filiis occisus est. Quo exemplo monentur milites eorumque duces, ne blasphement aut blasphemantes tolerant. Qua enim ratione victoriam ab eo sperabunt, quem execrantur? *Non enim in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est,* I. Mac. III. Si ergo a Domino est victoria; quomodo eam obtinebunt, qui tot blasphemis in eum pugnant, et acuunt linguas suas sicut serpentes?

III. Projicit etiam lapides suos in blasphemus lex canonica. Et primo anathema seu excommunicationem, in c. Si quis per capillum, cap. XXII. d. I. Deinde in c. Statuimus, de maledicis statutur, blasphemum, per episcopum suum ita muletandum, ut septem diebus dominicis præ foribus ecclesiæ in manifesto, dum aguntur missarum solemnias, existens, ultimo illorum die pallium et calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa

II. PARS HIEMALIS.

collum, septemque præcedentibus sextis feriis in pane et aqua jejuret, ecclesiam nullatenus ingressurus. Et quolibet prædictorum dierum tres, si poterit, alioquin duos reficiet pauperes, sive unum. Quam pœnam qui subire noluerit, ecclesiastica sepultura privetur. Quo ex canone patet quantum distemus a priorum sæculorum christianis; si enim nunc omnes blasphemos Ecclesia anathemate ferret et ingressu ecclesiæ prohibitos præ foribus statueret, quam vacua esset ecclesia? Si sepultura sacra eos arceret, quam vacuum foret cœmeterium? Si juxta legem veterem omnes lapidaret, vix nobis sufficerent lapides. Unde si nunc Ecclesia tanto rigore non utitur contra blasphemos, inde solummodo est, quia adeo increverunt ut jam omnes puniri nequeant, nedum exterminari. Sed hoc ipsum maximæ indignationis Dei erga homines signum est; cum enim per leges et pœnas temporales non punit amplius, ostendit se puniendos reservare in ignem æternum. Hoc enim insinuavit, cum servis volentibus eradicare zizania de agro suo, dixit: *Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania et alligate ea in fasciculos ad comburendum,* Matth. XIII.

IV. Lex civilis Justinianus imperator, in authen. collat. VI. constit. LXXVII. ut non blasphem. ait: *Præcipimus tales ultimis subdere suppliciis.* Similiter et in recessibus imperii, anno 1493. 1500. 1530. 1548. 1577. variæ illis pœnæ ab imperatoribus statutæ. Unde patet quantum ipsimet imperatores nostri laborarint ut hoc tam grande malum exterminarent. Philippus Valesius Francorum rex, blasphemus primum ad torquem seu numellam publicæ adjudicari voluit aliquot horarum spatio per mensem, data omnibus licentia sordes in eos quasvis projiciendi, relapsos ad easdem retrahi et in die nundinarum coram frequenti populo candenti ferro suprema ejus labia diffindi ut dentes eorum apparerent; tertia vice abscindi eis labium inferius; quarta utraque; quinta linguam denique. Quod idem sanciverunt postea paucis immutatis Carolus septimus, Franciscus primus, Henricus secundus. S. Ludovicus eorum frontes cauterio notabat, et cum nonnulli de hoc quasi de nimio rigore quaererentur, dixit se paratum esse id in se pati, si vel hoc modo posset omnes e regno blasphemias proscribere, ut refert Paulus Æmilius, l. VII. hist. et Petr. Primandias, in acad. Gall. Lex Siciliæ talibus abscindi linguam jubet. Philippus imperator hujus nominis secundus, decrevit blasphemum mergi in fluvium aut paludem (etiamsi miles esset) citra tamen mortem, Vincent. in spec. l. XXX.

c. II. O malum diabolicum, quod tot tantique medici tantis medicinis curare non potuerunt! Nonne merito in hos dici potest, quod Sophonias, capite tertio dixit in Jerusalem: *Væ provocatrix et redempta civitas, columba. Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam!* Quis enim magis provocat Deum ad iram et indignationem quam blasphemus, dum nomen christiani habet et crucem ejus in fronte gestat, interim tamen Dei nomen blasphemat? *Væ provocatrix et redempta civitas!* Nam licet etiam infideles provocent Deum ad iram, multo tamen magis blasphemi christiani, juxta id Ps. LIV. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanims, dux meus et notus meus.* Et quod sequitur, *Veniat mors super illos et descendant in infernum viventes;* nimirum veluti blasphemi illi Dathan et Abiron. Columba erat olim Ecclesia quæ gemitibus vacabat et uno ore honorificabat Deum, Rom. XV. nunc in aliquibus membris suis facta est corvus crocicans, lupus in cælum ululans et dans contra Deum voces.

V. Creaturæ irrationales, et imprimis terra aperuit os suum et devoravit blasphemus illos, Core, Dathan et Abiron, eo quod sacerdotium Aaronis non Dei ordinationi et electioni, sed favori et affectioni Moysis erga fratrem adscriperint, Numer. XVI. Quia enim blasphemus omnium creaturarum communem execeratur Dominum et creatorem; ideo ipsi omnium elementorum usu privati sunt. Unde S. Ambrosius, epistol. LXXXII. de illis ait: « Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundo sinus, arbripiuntur noxii, et ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis, ut nec aerem haustu, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulcro. » Et fortasse hæc est causa, quod audientes aliquem dicere blasphemantem dicere soleamus, mirum esse quod terra non absorbeat illum; indignum enim judicamus qui elementorum usu fruatur.

Ductor exercitus Demetrii regis Nicanor cum Judæos sabbato pararet invadere, monitus ut in honorem Dei omnia conspicientis sacro die abstinere, arroganter respondit: *Estne potens aliquis in cælo, qui imperavit agi diem sabbatorum?* Cui cum diceretur: *Est Dominus vivus ipse in cælo potens, qui jussit agi diem septimam,* subjecit: *Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma et negotia regis impleri.* Quam ob causam commisso prælio, etsi maximum et omni genere armorum instructissimum haberet exercitum, a paucis cæsus est, et cecidit ipse primus in prælio, I.

Macchab. VII. ejusque lingua blasphema excisa et avibus particulatim data ad devorandum est, II. Macchab. XV. Equissima etiam erat istius puniatio ut scilicet ejus lingua excinderetur, quæ Dominum contempserat, et avibus devoranda daretur, quæ cantu et vocibus suis nunquam non laudant creatorem suum, quem lingua illa blasphemarat.

Antiochus Epiphanes, ut refert Josephus, lib. III. hist. Jud. capite XII. dixit: « Accelerate curus et equites ac militares copias, ut vadam contra Jerusalem et exequar voluntatem meam. Quis poterit stare contra faciem meam? Nonne mare et arida in potestate mea sunt, ut pro arbitrio meo commutem creaturas eorum? Vertam mare in terram, et terram in mare. » Contigit autem ut cum desit loqui, et veheretur, et curus ejus transiret contra elephantem quemdam, et elephas vociferari inciperet, atque ex rugitu ejus equi terrerentur, calcitrarent et subverterent currum, caderetque Antiochus de curru et confringerentur ossa ejus; siquidem erat homo gravis, crassus et corpulentus, et addidit Dominus plagam super plagam, ut inciperet totum corpus ejus foetere instar cadaveris projecti, tempore æstatis super faciem campi. Additur. II. Macchab. IX. corpus ejus vermibus scaturisse ejusque foetore exercitum gravatum, ut nemo eum propter intolerantiam foetoris posset portare. Annon ista etiam apertissima blasphemæ vindicta fuit? Cum enim Antiochus execrabili sua blasphemæ et rugitu cælum et elementa omnia terruerit, et foetore linguæ suæ maledictæ aerem infecerit, quis non videt justissime a Deo factum, ut ejusdem equi a rugitu elephantis terri currum evertent Antiochi, et ipse demum foetore suo inficeret exercitum? Huic accenseri possent blasphemi illi hæretici, Olympius qui blasphemus in SS. Trinitatem, tricipiti fulmine extinctus est; Nestorius qui Mariam Virginem non Deiparam sed Christiparam tantum appellabat, eujus lingua a vermibus exesa; Calvinus, qui et ipse blasphemando moriens, a vermibus et pediculis consumptus est. Nimirum commeruerant, ut superciliosi et foedissimi homines a minutissimis et foedissimis occiderentur bestiolis.

VI. Ipsi dæmones; illis enim apostolus Paulus tradidit blasphemos duos, I. Timoth. ut videlicet ab Ecclesia ejecti ejusque suffragiis privati a satana agitari et torqueri possent. Notissima etiam illa historia de puero quinquenni, quem quia conniventibus parentibus blasphemare Deum solebat, diaboli sub Æthiopum specie de parentis gremio in infernum raptare contendebat: qui etiam cum eos sibi appropinquare

clamaret, rursum blasphemans infelicem spiritum reddidit, libro IV. dial. Sanct. Gregor. capit. XVIII. Nec miremur, quod vel apostolus blasphemus satanæ tradiderit, vel ipsi dæmones blasphemum puerum raptare conati sint, quia ad ipsos pertinebant, qui dæmonum lingua loquebantur. Si quem expedite loqui gallicæ audimus vel hispanice, Gallum eum vel Hispanum judicamus. Lingua autem dæmonum et inferni, blasphemæ est, sicut lingua beatorum est alleluia et laus Dei, ut patet ex Apoc. Hanc addiscunt hic electi, illam vero reprobis; et illos quidem vindicant sibi cœlites, istos vero maligni spiritus, velut cives suos. Quid mirum ergo, si apostolus satanæ tradidit eos, qui jam expedite blasphemabant? Et dæmones raptarunt puerum blasphemis jam assuetum? Itaque non est vana conjectura pertinere ad infernum eum, qui consuevit blasphemare: pertinere vero ad cælum, qui libenter Dei laudem et loquitur et audit. Sic enim aperte colligitur ex hodierno evangelio, ubi Dominus ostendit se nihil habere negotii cum dæmonio, ex eo quod honorem Dei quæret et per omnia procuraret ac loqueretur. Unde paulo supra ait: *Quare loquelam meam non agnoscitis?* Ipsos vero Judæos ad dæmones potius pertinere, qui Dei Filium blasphemarent. Vide igitur quisquis es, blasphemæ, ad quam regionem spectes; vere enim tu ex dæmonibus es: *Nam loquela tua manifestum te facit.*

VII. Ipsimet blasphemæ; quemadmodum enim crocodilus, ut refert Pierius, lib. XXIX. hierog. prædæ spe frustratus, in seipsum convertit morsum; ita faciunt, qui cum linguis suis serpentinis cælum attingere se non posse, Deoque nocere vident: inde cruciantur et in seipsos convertunt rabiem, si non semper in vita, certe in inferno. Ait enim Sanctus Joannes, Apoc. XVI. *Commandaverunt linguas suas præ dolore, et blasphemaverunt Deum cœli, præ doloribus et vulneribus suis, et non egerunt penitentiam ex operibus suis.* Omnia enim blasphemiarum jacula, quæ tunc in cælum, deos et sanctos ejaculabuntur, in ipsorum capita recident, et ita linguas suas, dum exerunt in Deum, ipsimet inferim vorare cogentur: et sicut scorpio in vitro super ignem tentus præ doloris impatientia seipsum crebris ictibus ferit, donec interficiat; sic damnati, quamquam se occidere non possunt, quod vellent. O quanta calamitas, perpetuo agitari ad nocendum, et interim nemini nocere nisi sibi! Exemplar illorum fuit impius Julianus apostata, qui cum esset infensissimus Christi hostis, ab eo denique se in acie, manu invisibili inter costas lethaliter vulneratum sentiens, sanguinem de vulnere in manus acceptum,

versus cælum ejaculabatur et dicebat: *Exple iram tuam Galilæe; vicisti, fateor, vicisti.* Atque ita paulo post extinctus est; referunt Sozomenus, Rustinus, Eutropius. O infelicem et maledictam linguam, quæ non nisi sibi ipsi spiculum infixit! O infelicem cruorem, qui frustra in cælum jactus, in proprium caput recidit! Hocine non est seipsum morsibus conficere, et linguam suam manducare? Hoc autem si non ut Julianus in vita, saltem in inferno cum illo facient blasphemæ, idque in justissimam linguæ suæ ultionem. Unde verissime dictum Psal. XXXVI. *Gladium evaginarunt peccatores; gladium scilicet linguæ, quia Lingua eorum gladius acutus,* Psal. LVI. Sed quid efficiunt? *Gladius eorum intret in corda ipsorum,* subdit psalmista.

VIII. Superest nunc, ut nos quoque ad extremum blasphemus lapidemus, hoc est, detestemur, reprehendamus, et si officii nostri ratio exigat, corripiamus. Requirit hoc a nobis primo debitum amoris nostri erga Deum; si enim vere Deum diligimus, ut Patrem, vel ut Dominum honoramus, quomodo sustinere vel audire possumus, eum maledici, rideri, injuriari? Quando impius Semei mittebat lapides contra Davidem eique maledicebat, statim prosiliit servus David Abisai zelo honoris domini sui et dixit: *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? Vadam et amputabo caput ejus,* II. Reg. XVI. Hoc idem facere deberemus, si vere Domini Dei nostri honorem amaremus: blasphemus scilicet ut canes rabidos communi manu persequi, et quod Judæi consueverant, lapidibus obruere.

Requirit id a nobis debitum amoris erga nos ipsos: si enim peccato blasphemæ nolumus involvi, contra eum insurgere debemus; blasphemæ enim ejusmodi peccatum est, ut propter ipsam tota aliqua communitas interdum puniatur, si in ipsa tolleretur; quemadmodum totus exercitus Syriorum propter blasphemiam regis eorum, et omnes uxores, famuli, liberi, et famulæ cum Core, Dathan et Abiron blasphemis (Num. XVI.) morte plexi sunt. Idcirco Judæi blasphemiam audientes vestem discindebant et aures ocludebant, ut Actor. VII. et blasphemum ipsimet mox ad Moysen deferebant, Levit. XXIV. ne ullo modo sceleris illius participes se facerent. Itaque si te ipsum amas, ne auscultes aut conniveas, multo minus arrideas blasphemanti.

Requirit debitum amoris erga proximum et ipsummet blasphemantem, ut eum velut asinum errantem, juxta præceptum Dei, Exod. XXIII. reducamus, et præsentissimi periculi admoneamus. Hoc enim in socio suo considerans bonus latro, tametsi in cruce magnis ipse tenebatur doloribus,